

mi reficiendi causa sunt instituti.' (5.) Attendat etiam personarum respectum, & videat, quid nos ipsos aliosque deat. Et alius locus convenit Seni, Principi, docto, amico, æquali, alius juveni, plebejo, indocto, indocto, Aliter jocandum cum *Superioribus*, cum quibus cautè agamus, quia cum ipsis joculari non satis tutum est. Aliter cum *Inferioribus*, cum quibus parcè. Hinc Parentes cum liberis adultis, Domini cum servis, Magistratus cum subditis, Præceptores cum discipulis joculari nimium non debent, ne autoritatis suæ, quod plerumque fit, jacturam faciant. Tandem (6.) probe attendat finem, ut proferat jocos in honestam & fructuosam humanæ vitæ recreationem vel oblectationem, non in vindictam, non in libidinem & aliam voluptatem illicitam. Exempla jocantium ubivis sunt obvia. Sic Scipio Nasica cum ad Poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium, ancilla dixisset, *domi non esse*. Nasica sensit, illam Domini jussu dixisse, & illum intus esse. Paucis post diebus, cum ad Nasicam venisset Ennius, & cum à janua quæreret, exclamavit Nasica, *se domi non esse*. Tunc Ennius: *Quid? ego non eognoſco vocem, inquit, tuam?* Hic Nasica: *Homo es impudens, ego, cum te quærerem ancilla tuæ credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi.* Cic. lib. 2. Orat.

§. XIII. Extrema Urbanitatis sunt; in Excessu scurrilitas *βωμολοχία*; in defectu Rusticitas *ἀγροικία*. Scurræ Græcis appellantur *βωμολόχοι* & *φορτικόν βωμολόχοι* à *βωμὸς* ara & *λόχος* insidiæ. Aves enim olim ad devorandas hostias, insidiantes *βωμολόχοι* dicebantur, ita homines infimæ & levisimæ sortis, sordida atque scurrilia tractando insidiantes bonis, ut inde vitam sustentare queant, tale nomen sortiti sunt; *φορτικοί* verò dicuntur, quia plerumque media sunt è plebeculâ & jocis importunis non pa-
rum